ALOISII FIORI

URBIS, ET LARGITIONIS APOSTOLICÆ

MEDICI

DE ANCIPITE, AC PRAVÆ INDOLIS

PERIPNEUMONIA

CUM PLEURITIDE JUNCTA

HISTORIA SINGULARIS

VIRO EMINENTISSIMO

JO. FRANC. FALZACAPPÆ

NUNCUPATA



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA VINCENTII POGGIOLI

1827

: : : : : : : : *et ; quoniam vita ipsa ; qua fruimur , brevis est , memoriam nostri quam maxime longam efficere.*

C. Salustius Crispi.

JO. FRANC. FALZACAPPÆ

S. R. E.

PRESBYTERO CARDINALI

TITULO S. MARIÆ TRANS TYBERIM EC. EC.

ALOISIUS FIORI

FELICITATEM

Cum omne Te literarum genus, omnisque rerum digna cognitio maxime delectet; non diù anceps haerere debui, Eme, ac Rme Princeps, ut statuerem, hoc qualecumque sit, ejus, in qua versor, medicae facultatis specimen Tibi sa-

ne, qui ejusdem in eligendo Patrono mihi statim occurristi, merito jure inscribendum esse. Quis enim, quaeso, est adeo peregrinus in Urbe, cui nota non sit singularis humanitas Tua, doctrina, ingenium, et eruditio? Muneribus utique Tibi omni fere aetate delatis rite semper, ac summa cum civilis Reipublicae utilitate functum esse non latet: Quinimo si vel parum attendas, quae Tua fuerit, quaeque Tua est in quovis munere fungendo justitia, in adversis virtus, in omni fortuna moderatio, nihil profecto ad Tui gloriam requires. Quare factum est, ut Te jam insignem ex recte factis, Religione, Sapientia, morumque soavitate Patrem Cardinalem creaverit Pius VII., qui ut virtute vixit, memoria vivet, quique summo studio, ac fide eo

sane spectabat, quó LEO XII., Pontifex vere Optimus, Maximus, judicio praeditus acerrimo in aestimandis hominum ingeniis, ac moribus, tum ita praeterea animatus, ut, quae cujusque meritis praemia debeantur, ea libentissime, ac liberalissime persolvat. Atque interim hoc animadversum est maxime, et quotidie magis inspicitur, Te nimirum ad amplissimam hanc dignitatem evectum ipsum plane, qui antea fueras, eumdem omnibus esse; neminem excludi colloquio Tuo, neminem congressu; Tui omnibus copiam facere; eamdem omnibus humanitatem ostendere. Nam sequitur insolentia fortunam; comes est rerum secundarum arrogantia. Verum Tu mansuetudinem amas; Tu benignitatem perpetuo retines: Jure ergo

hoc etiam nomine Cardinalis es; jure tantum habes honoris gradum, quó tui Te pro Christi Ecclesia suscepti labores extulerunt. Hinc, qua nites, morum integritatem, et, quo excellis, ingenii aciem, doctrinaeque copiam intuens non possum, quin Te ad virtutem non tam factum, quam natum et maxime colam, faciamque plurimi, et utraque manu ad sidera tollam. Ceterum si tenuem hunc laboris mei, et operae fructum, testimonium summae, erga Te meae observantiae, Tibi gratum, acceptumque fuisse intellexero, satis mihi lucri fecisse arbitrabor. Is enim si Orbem peragraverit nomine Tuo exornatus, nihil mihi dubii, quin ubique terrarum et notus, et receptus humaniter, ac libentissime fuerit. Deus tandem, Cardinalis Amplis-

sime, plus, quam diú Te sospitet, atque fortunet, dum ego hujusmodi ex Te consecuti honoris nunquam oblitus, ac, si patiaris, qua decet, observantia, et humilitate sacram purpuram deosculatus, studio certe, si minus re, Tibi ut satisfaciam, elaborabo.

NIHIL OBSTAT.

M. A. Poggioli Archiater Pontificius,
et in re Medica Censor.

NIHIL OBSTAT.

Fr. Thomas Moralia Aug. Censor Theologus.

IMPRIMATUR.

Fr. Joseph Maria Velzi S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR.

J. Della Porta Patr. Constantinop. Vicesg.

Nemini non perspectum est, in suis tam variis, multisque operibus mirabilem quidem esse naturam, quae rara semper, et nova etiam quandoque prae tanta copia periclitantibus consideranda exhibet, ut, si quis ea rite, probeque perpendat, atque inde memoriae prodat, minime noctuas, ut ajunt, in Atenas ferre, et ligna in sylvam congerere videatur. Pessimae quidem indolis morbus, quo diù conflictatus fuit summae expectationis, ingeniique juvenis Thoma *Sciarra* ex Arsoli terra tiburtinae Dioeceseos, ejusque anomala, singularia, et, nisi valde mihi blandior, nonnulla etiam nova indicia mihi certe opportunitatem praebent, ut, epistola *de duobus conceptis in utero extinctis* jam emissa (1) iterum

(1) Aliud etiam a me multis ante non annis lucubratum ex integro opus fuit, cujus inscriptio - *Observationes praticae, quae maxime conducunt ad dignoscendos, et curandos nonnullos morbos* - Celebratissimus medicinae professor Laurentius *Massimi*, qui maximo reipublicae adjumento fuit, multis, iisque gravissimis malae valetudinis incommodis jampridem affectus, eademque nimis provecta aetate acriter oppressus mihi demandavit, ut, quas ipse in periclitandis morbis collegerat, diuturnas medicae praxeos observatio-

doctorum virorum, quibus maxima semper est, humanitatem, ac benevolentiam erga me experiar, hoc altero in lucem edendo opusculo, quod inscriptum legitur - *De ancipi-*

nes in ordinem redigerem, itemque verbis ornatas, et rationibus, quoad ejus facere poteram, ampliatas in medium afferem. Verumtamen ejus primi quidem ingenii mei foetus (trium annorum opus, improbusque labor!) una tantum pars tradita typis fuit, quod tunc temporis vir summus, artisque suae, ac doctrinae praestantia conspicuus vivere desiit magno plane hominum detrimento. Agit haec, ut nonnullis patet, de morbis, qui caput, pectus, et abdomen afficiunt. Altera vero per me quidem longe praestantior adverso literarum, reique publicae fato adhuc inedita est, tum etiam (verbo absit veritas) neglecta jacet, quamvis aeque lucubrata, ac rite disposita fuerit. Complectitur haec acutas febres, atque illas etiam, quarum reditus, et accessio constans omnino percipitur: hisce praeterea sermo accedit morborum, quibus mulieres, quibusque infantilis aetas, ac pueri potissimum abnoxii sunt. Atque pro coronide tandem illius rarissimi morbi, quem medicorum vulgus *passivam haemorragiam* appellat, hoc est immodicum, et generalem ex corporis superficie sanguinis fluxum, accurata descriptio, aptumque remedium deprehenditur. Haec fere praefatum opus constituunt; quae nemini lateant velim, ne qua Cornix invisa Minervae, et saeculis, ut Ovidii verbis utar, *vix moritura novem*, se nigram, ut est, ac deformem pulchrioribus induat Pavonis pennis, quae variis bene pictae coloribus mirum utique, et gratum praebent naturae spectaculum; tum immerito praeterea, ut jure Pavus ipse solet,

Laudatas homini volucris junonia pennas
Explicat; et forma muta superbit avis. Ovid.

in futuram aetatem, rei veritate, et Cl. Auctoris memoria minime comprobante, superbiat, et, quod suum non est, suum esse videatur.

te ; ac pravae indolis peripneumonia cum pleuritide juncta ; seu *de pulmonis , ejusque membranae , quae pleura dicitur , inflammatione* - Ab hujus igitur malae valetudinis affectione , quae uno tantum nomine *pleuroperipneumonia* dici solet , correptus fuit praefatus juvenis , eamque verbis , quantum in me est , describere , ac palam ostendere cum operae pretium , tum certe meum esse existimo. Tanta enim inter se familiaritate mutuo utuntur familiae nostrae , ut ipsi nos , et nos ipsos affinitate conjunctos , maximeque necessarios omnino putemus. Itaque simul atque juvenis , hic in lethalem morbum incidit , ne ullum ipsi a me familiaritatis , et amoris officium deesset , diu , noctuque ad ejus valetudinem tuendam , et , quantum fieri poterat , ulterius protrahendam operam , studium , ac diligentiam adhibendo adesse constitui ; quamvis vero praeter aliam Amicorum turbam amantissimi fratres , qui hujus aegrotationis caussa Romam se contulerant , certatim aegrotanti assidere , et nocturnas agere excubias vellent , perinde quasi in unius vita salus omnium verteretur. Hinc , ut mea fert opinio , non minus verum , quam numeris omnibus absolutum de hujusmodi morbo , ejusque gravissimis adjunctis sermonem instituere mihi citra dubitationis aleam datum est : Idque caussae fuit , cur ego delatam ad me a doctissimo viro Joanne Baptista *Bomba ,* qui tantae aegrotationis curationi praefuit , hujusce provinciae partem

neque ita gravate receperim, et receptam si minus cum apparatu, et copia, certe cum fide, curaque confecerim. Quare minime dubito, quin opus hoc qualecumque gratum, acceptumque futurum sit; sed unum adhuc a vobis, Sapientissimi Viri, summopere contendo, ut quando omne mihi perfugium in vestra clementia, ac bonitate situm est, vestro favore, ac silentio tenuitatem meam sublevetis, et, si qua fuit, noxiam condonetis.

Labente anno post Christum natum 1823 in pertinax, et grave pectoris rheuma implicitus est juvenis *Sciarra*, qui ad civium opes gentiumque jura tuenda studiose incumbebat. Is quinque supra viginti plus, minus annos natus sanguinea, ac valida habitudine, summa fibrarum irritabilitate, et candido, fortique animo pollebat; tum intactus praeterea ab avaritiae sordibus, et a lucri cupiditate vehementer alienus suis, aliisque carus, et amantissimus erat. Firmioribus sui corporis viribus innixus pravam hanc pectoris affectionem vix parvi, seu ne vix quidem fecit, cum auxilia a medica facultate praescripta vel contempserit, vel nonnulla tantum, et sine ratione adhibuerit. Accesserunt interim baccanalia, et, quin valetudini non satis firmae serviret, blanditiis potius, ut juvenum mos est, et solatiis omnino indulsit. Neque abs re hoc loco sciendum duco, eumdem sic a natura conformatum fuisse, ut, dum sive genio, sive fungendi sui muneris caussa deambula-

bat, vehementer, atque immodice corpus exerceret; tum silentio praeterea omittenda non sunt animi pathemata, in quae juvenes tanta facilitate implicari solent, et deinde summa tantum difficultate vix emergere possunt. Hujus enim indolis animi motus, et affectiones nonnullis diebus ante kalendas martias anni 1824, caussis accedentibus tam intus, quam extrinsecus partis, adeo juvenem torquerunt, ut flava bilis in atram, si ita loqui fas est, conversa, et nimium acris, ut opinor, reddita omnem vim, atque immanitatem suam in vasorum fibras, nervosque exereret. Quibus, aliisque caussis factum esse reor, ut ipse in morbum graviorem, ancipitem, et prorsus lethalem incideret. Et sane duodecimo idus martias praefati anni 1824 summo vespere cubitum sospes ivit, et somno complexus est; at prae more ad concubiam noctem experrectus minime bene se habere sensiit; tum etsi curaret, ut iterum somno complecteretur; diliculo tamen non potuit, quin germanum fratrem Aloisium, qui et ipse in foris Civium opes, et jura tuetur, a somno excitaret, ut alterum fratrem Petrum in medica facultate satis notum, et expertum accersiret. Miratus quidem hic ad aegrotum accessit, qui medico significavit, se nervorum subsultu, et mobilitate correptum esse cum nonnullo doloris morsu dextrum sui latus obsidente; quem tamen nihili faciendum esse dictitabat. Verum medicinae professor, qui

morbi indolem, ac naturam in membranae pulmonem ambientis, et ad thoracem deligantis inflammatione repositam esse noverat, huic statim consulendum duxit imperando, ut, viciniore Chirurgo accersito, citra cunctactionem sanguis ictu detraheretur: qua quidem ratione factum fuit, ut morbi suae praesentiae, et acerbitatis indicia vix praebentis impetus, et vis refringeretur. Liquido in diem apparuit, pulmonem eam ob sanguinis uberiorem copiam ad se ingruentem ita coarctatum esse, ut aerem aegrotus difficillime haurire posset, haustumque crebro, et cito emitteret; hinc dolor acrior evasit, et, molesta tussi accedente, sputa secuta sunt sanguine obducta: quare medicus in eam sententiam illico devenit, ut, sanguine iterum detracto ad compescendam, si fieri posset, summam spiritus angustiam, et fibrarum irritamentum, potionum diluentium usum praescriberet, quo pulmo humidior factus facilius, ac citius sputum, nimiae visciditati obnoxium redderet, eodemque tempore et humorum affluxu, et tussis stimulo minus afficeretur. Alteram autem hanc venae incisionem, et quidquid deinde opus fuit, numeris omnibus, diligentia, ac studio absolvit egregius chirurgiae professor Antonius *Vasselli*, quicum tantae aegroto caussae necessitudinis erant, ut nihil posset esse conjunctius, quam ipsi inter ipsos erant.

Ejusdem diei sub noctem expertissimi apothecarii Pauli *Rolli* officinam prope S.Mar-

celli ad cursum de more petiit medicinae professor *Sciarra*, et nobis tristem attulit rumorem, fratrem suum Thomam in pleuritidem pravis, multisque indiciis obnoxiam incidisse. Hisce auditis, me postridie ad aegrotum contuli, cujus vena ad vesperam jam quarto pertusa erat, et tamen miser incommoda, et difficili respiratione cum thoracis gravitate laborans ab acri, et continenti dextri lateris dolore a tussicula inani adaucto vexabatur, ejusque faciem rubronigriganti colore obductam aspexi: arteriarum deinde micationibus expensis, quae contractae, et frequentes erant, non diù mihi deliberandum fuit, eumdem *pleuroperipneumonia*, hoc est pulmonis, ejusque membranae, quae *pleura* dicitur, inflammatione vexari. Atque optime Aretaeus, apertisque verbis admonet *lib. 2. de morbis, cap. 23.*, - *Morbus ille, quem peripneumoniam vocamus, est inflammatio pulmonis cum febre acuta, quibus simul adest thoracis gravitas, doloris absentia, si solus pulmo inflammatur, quippe qui naturaliter doloris immunis sit ..... at si quaepiam ex membranis illum ambientibus, et ad thoracem deligantibus inflammatur, adest simul et dolor* – Interim domum rediit medicus aegroti frater, et ea, qua pollet, humanitate perconctatus est, quid ego sentirem de aegrotatione fratris sui: si cujus momenti est, respondi, judicium meum, ingenue, et ea, qua utor, familiaritate fateri non dubito, morbum, de quo ser-

mo est, gravissimum, ancipitem, et lethalem esse, cum non modo pleura, quae pulmonem amplectitur, sed ipse quoque pulmo inficiatur. Quapropter, ut opinor, pulmonis vasis immeabili sanguine repletis, nil mirum, si spiritus angustia sequatur, thoracis gravitas, aerisque haustus brevis, et frequens, tum ejus celeris, et crebra emissio. Ex quibus plane percipitur, quod diuturna experientia edoctus jam scripsit Galenus, *de locis effectis* lib. 4. cap. 11. - *Quum vero spirandi difficultati cum angustia, et gravitate febris acuta simul accedit, est ille affectus inflammatio pulmonis* - Hisce, quae in medium attuli, facile assensum dedit Cl. *Sciarra;* imo etiam in morbi curatione me socium esse contendit, dum ipse moerore confectus quid amplius consilii caperet, quidque amplius ageret jam fere ignorabat. Non potui, quin hanc ejus erga me existimationem aequi, bonique consulerem, eique grati animi sensus ostenderem. Verum in tanta morbi pravitate consultum habui, ut celeberrimus medicinae doctor *Bomba*, qui in sanandis hominibus principem plane locum consecutus esse videtur, in consilium accersitus curationi praeesset. Postero mane ad aegrotum accessit summus in arte vir, et, omnibus, qua pollet, sagacitate inspectis, praescripsit, ut quinto sanguis eliceretur ad minuendum, et a pulmone avertendum copiosiorem ejus affluxum, atque impetum. Commendavit insuper quam maxime,

ut famulam manum praebentes assidui quidem essent in suppeditandis aegroto jam praescriptis potionibus, addito nitro, et syrupo de althea Fernelii, ad humoribus fluorem conciliandum, tussis vim quadam ratione compescendam, simulque sputa, quae nimis viscida erant, facilius educenda. Interim aegrotus ipse nihil antiquitus, neque consultius habuit, quam ut per sacram totius anteactae vitae confessionem contractas animi sordes elueret; summa deinde cum veneratione Sacramentum altaris recepit, eoque refectus est. Sibi vero confitenti aures dedit Rev. Pater Philippus cognomine *del Pozzo*, vir suavissimis utique moribus, pietate, doctrina, atque intacta religione conspicuus, tum in civitate, quae vulgo *forum Cornelii* dicitur, ex nobili genere natus hic Romae familiarium, qui Pontifici Optimo, Maximo addicti sunt, erratis expiandis vera cum dignitate praeesse videtur. Porro ab eo aegrotus adeo satisfieri potuit, ut summa familiaritate cum eodem Patre uteretur, atque omnia sua consilia, et cogitationes conferret.

Optimus Medicinae Professor *Bomba* ad aegrotum invisendum vespere accessit, et, ejus linguae dorso inspecto, quod sordibus obductum apparuit, tum caussarum, quae praecesserant, habita ratione, jussit, ut postridie pharmacum hauriret, quo alvi proluvies leniter promoveretur. Neque frustra; aegrotus enim, nonnulla olei seminum ricini

copia pro imperio desumpta, e corpore deinde satis excrementorum egessit. At quoniam iis est fidendum, quae cum levamine fiunt; nobis idcirco sanitatem de ipso nullam polliceri potuimus, cum febris eadem ratione persisteret, nedum, acrius saeviente tussi, doloris morsus magis exacueretur. Spiritus insuper angustia opprimebatur, ac proprio instinctu corpus in lecto erigebat ad aerem facilius inspirandum; corporis enim erecto trunco, abdominalia viscera suo pondere deorsum ducunt diaphragma, atque ita quo amplior fit pectoris dilatatio, eo plenior, ac facilior aeris haustus, et emissio. Indicium hoc lethale semper habendum est, atque iis potissimum, qui *peripneumonia* laborant: Hippocrates, medicinae basis, decus, et ornamentum ad liquidum ostendit in Prog. – *Quod si in morbi vigore aegrotus velit residere, hoc in omnibus quidem acutis morbis malum est, pessimum vero est in peripneumonicis* – Quibus ita animadversis, initoque consilio, eo deventum est, ut sexto vena pertunderetur, et, qui secutus est, sanguinem nigrigantem, tenacem, et phlogistica, ut ajunt, crusta continenter obductum deprehendimus. Neque hic silentio praetereundum arbitror, sputa vehementi quidem, atque iterato tussis impulsu foras prodire, eaque tenacitate pollere, ut vasculo, quo continebantur, arcte haererent, neque ita facile ab eo auferri possent. Quare mecum existimavit medicinae professor *Sciar-*

ra, ut syrupo de althea simplex etiam oxymel adderetur ad pituitae tenacitatem incidendam, ac pituitam ipsam facilius educendam. Ut postera, quinta nempe morbi dies illuxit, se ad aegrotum contulit *Bomba*, de salutis humanae praeside arte vir consultissimus: Cuncta diligenter inspexit, et, cum sputa minus sanguinolenta se consideranda dedissent, cumque febris paulo remisisset, nihil ultra agendum esse decrevit: Meae tamen prudentiae, si qua est, et collegae mei sagacitati copiam, ac potestatem fecit remedii in diem praescribendi, quod morbi exacerbationi, si fieret, utile simul, aptumque foret. Circa meridiem ad aegrotum accedentes invite deprehendimus, non magis febrim, quam prava, quae secum ferebat, indicia maxime saeviisse; quamobrem ancipites ne momento quidem temporis haerere debuimus, ut statueremus, a sanguinis detractione nondum esse abstinendum. Sub vesperam, ut moris erat, ad aegrotum rediit Cl. *Bomba*, et, praeceptionibus comprobatis, nihil aliud interim peragendum, quam ut omnia eodem pede procederent, nimirum saepe saepius aeger et praescriptas potiones cum syrupo, et junioris carnis jusculum singulis tribus horis, vel quatuor ad summum hauriret. Crastina die ad aegrotum diluculo venit, cujus respiratio difficilis adhuc apparuit, neque febris ullo pacto remiserat: Quocirca cunctis suffragiis existimavimus, ut, sanguine continuo, et octavo detracto, duo

etiam cerata, quae vulgo dicuntur, *de' vescicanti*, admoverentur.

Atque hic palam edicere minime abs re mihi fore videtur, medicae romanae praxeos usum, qui nulli excogitatae rationi obnoxius est, reliquis praeferendum esse, cum, experientia duce, fideliter institutis, ac pluries repetitis periculis incumbat, nullisque subjiciatur mutationibus; imo plane tota ejus prudentia, ac vis in eo posita est, ut morbum cum morbo, tempus cum tempore, habitum cum habitudine comparet, tum advenientia, atque increscentia mala suis certis indiciis, ac nominibus ea distinguere, internoscere, iisdemque idonea, aptave remedia adhibere doceat. Itaque medicinae romanae, quae coi Senis doctrinam sequitur, praestantia in acutis potissimum inflammatoriis morbis curandis tanta est, ut omni aetate splendidior enituerit. Hac enim medendi ratione eo spectamus, ut majorem humoribus fluorem conciliemus, eorum item copiam, quae vasorum fibras distendit, minuamus, denique eorumdem vim prope affecta loca ingruentem refringamus. Id autem rite, probeque consequimur iteratis sanguinis missionibus, quae aegrotantium aetati, viribus, et constitutioni respondeant. Et quidem Hippocrates primum, quem ut digne laudem, verba desunt, cum subeant inflammatorii morbi eos sanguinis detractione curandos esse studiose commendat: Galenus exinde, qui tanto apparatu medicinam in Urbe fecit, Hip-

pocratis vestigiis insistere consultum habuit. Summi in arte viri Sydenham, et *Boerhaave* de hujusmodi morbis concinne scripserunt, eorumque doctrina ad evidentiam ostendit, sanguinem omnino detrahendum esse, ne homines hoc morbo affecti ingravescant, ac pereant. Martianus etiam, quo melius nemo Hyppocratis mentem penitus introspexit, praefatam rationem in profligandis inflammatoriae indolis morbis unam esse contendit, eademque permultos homines, in qua degimus, Urbe sanitati restituit. Recentius vero Cl. in arte viri, *Baglivi*, *Lancisi*, *Sinibaldi*, et *Pascoli*, qui medicinam digne, ac summa cum reipublicae utilitate hic Romae exercerunt, ubi de morbis, quos inflammatio progignit, agebatur, sanguignem, incisa vena, continuo, et ea copia primis eorumdem diebus eliciendum esse censerunt, quam aegroti vires, aetas, et habitus requirebant. Verum, dum aequo, libentique animo haec monita, et praecepta sequor, sibi nemo suadeat velim, me hujus indolis morbos curantem nimis copiosas sanguinis emissiones praescribere, vel pluries, quam opus est, vel, quod maxime damnandum, ad animi usque deliquium. Ex majoribus nostris non defuerunt plane, qui hanc jam toties rejectam curandi rationem, elapsis temporibus, in usum vocarunt; eamque scilicet altero saeculo, ut mihi relatum est, secuti sunt, ceteris omissis, celebratissimi medici *Mora*, *Saliceti*, et *Zannettini*, qui magno nomine frue-

bantur, primumque sibi locum alma in Urbe vindicaverant. Atque tunc temporis, ut verum fatear, densa plane visa est apparuisse nubes, cujus interjectu mehercule defecit lumen, quo medica romana facultas clare emicabat. At non satis diù, favente Deo, dissoluta est caliginosa haec nubes, rediitque nitor medicinae romanae. Hac vero nostra aetate, heu quanto gentium discrimine! densior adhuc, et gravior per auram volitare videtur nubes illa, quam, experientia rerum magistra docente, pari fortuna, ac penitus perituram esse confido.

Quae cum ita sint, satis, superque evincunt, medicinae (quae sic orta est, subinde aliorum salute, aliorum interitu, perniciosa discernens a salutaribus) magnum semper detrimentum attulisse theorias, et excogitata systemata, quibus in diem etiam studiosi, observationum, unde ars praestantissima effecta fuerat, raione posthabita, plus, quam par est, indulgent, ut quomodo illud, vel hoc fiat, probabilem possint rationem afferre. Hinc se infinitis, et interminatis quaestionibus implicant, ac, dum ceterae omnes, qua disciplinae, qua artes non solum in pristinum splendorem restitutae sunt, sed in dies magis, magisque excultae, novisque inventis ornatae vigent, ac florent, solus medicinae usus maxima sui parte jacet, et, quod dolendum maxime est, vilior quotidie apud indoctos plane maximo cum reipublicae detrimento evadit.

Itaque ab omnibus, qui medicinam faciunt; hoc maxime contendo, ne ad theorias tantum, ne ad hypotheseos cogitata; sed ad praxim potius mente, ac viribus incumbant: quam quidem promovendae artis rationem utinam vel ab ipsis Hippocratis temporibus ad hanc nostram usque aetatem constanter homines retinuissent! Dici enim vix posset, quot, quantique progressus hac hodie parte haberentur, dum artem experientia fecit, exemplo monstrante viam: nec a quaestionibus deducta est medicina, sed ab experimentis.

Jam vero ut eo revertatur, unde decessit oratio, sciendum est, octavo jam elicito sanguine, eam inde secutam fuisse sudoris copiam, ut uberius, ac diutius effluere non posset. Verum cum utilitatem aegrotus ex tanto sudose, qui *decretorius* visus est, nullam plane retulisset, omnem fere spem de ipsius valetudine dejecimus; nam Hippocrates *in aph.* 56. *lib.* 4. hac ratione se habet – *Febricitanti sudor superveniens, febre non remittente, malum; prolungatur enim morbus, et copiosiorem humiditatem indicat* – Postero mane ad aegrotum rediit Cl. *Bomba*, quem ardentius praestolabamur, cunctisque perpensis, et, quae secuta erant, auditis, deprehendit, morbum adhuc vehementiorem, et gravissimum esse; idque vel magis, quod alternae nervorum contractiones jam se prodiderant: hinc a sanguinis detractione abstinendum esse decrevit; jussitque, ut aegrotus, vesicatoriis femoribus ad-

motis, emultionem, ut ajunt, camphoratam; in qua et gummi arabicum solutum, et liquoris anodini mineralis Hoffmanni guttulae nonnullae mixtae essent, cochleatim hauriret; quod tamen remedium non satis diù amovendum fuit, cum vasorum fibras nimium irritaret. Interim aegrotus, laterali jam praefato doloris morsu penitus extincto, febri tamen, ejusque pravis indiciis persistentibus, quovis latere cubare poterat, et, qui aderant, sibi valde blanditi sunt, quamprimum aegroto valetudinem esse futuram. Ego vero tum a doctissimo Celso, qui *lib.* 4. *cap.* 7. – ait. *Id genus morbi plus periculi, quam doloris habet* - cum a saevientibus morbi ejusdem indiciis edoctus non potui, quin intimi animi sensu perciperem, ipsum gravius laborare, quam ut brevi tempore sanari posse videretur. Praeterea ut pleurae inflammatio, teste Baglivio, rite solvatur, debet prius febris excedere, exinde vero affecti lateris dolor; quod si autem, cessante dolore, febris adhuc persistat, vel cum aliis pravis symptomatibus augeatur, grave quidem aegroto malum imminet. Sub vesperam igitur congregati sumus, et, cum omnia in deterius ruere experti essemus, praescripsimus, ut aegrotus sacro infirmorum oleo inungeretur, atque, ne ullum ipsi vel ad incitas redacto artis auxilium deesset, secundum Hippocratis praeceptum - *In pulmoniis quicumque tumores fiunt ad crura, optimi sunt* – duo tibiis cerata vesicatoria, quae vulgo dicunt, admoveri

jussimus. Verumtamen, signis omnibus ingravescenditus, rarissima quoque, seu potius nunquam inspecta accedere visa sunt. Cum enim aegrotus paulo ante residere vellet, ut thoracis cavum amplius rédderet, itaque facilius aerem hauriret, proxime ad mortem accedens, nobis admirantibus, minime erecto trunco, sed quasi ad libellam in lecto se posuit, ac petentibus tuto significavit, hoc positu se melius habere. *Bomba* doctissimus plane vir, ac peritissimus medicinae professor ingenue fassus est, nusquam se unquam quatuor circiter, et triginta abhinc annis medicinam exercentem hujusmodi phaenomenon inspicere, neque ullum unquam apud Auctorem adhuc legere potuisse. Quare, nisi me omnia fallunt, illud rarissimum, ac novum utique censendum esse videtur: atque hic ejus potissimam rationem, ejusque caussas debuerim jam palam ostendere; sed hoc opus, hic labor est. Itaque eos plane, qui et doctrina, et ingenii acie excellunt, etiam, atque etiam deprecor, ut praefati singularis indicii, quae me fugit, rationem exquirant, tum praeterea, ut mihi maxime cordi est, reddant, atque in medium afferant. Satis interim mihi erit Ciceronis effatum quadam pro ratione referre - *Non oportet quaerere quomodo quidquid fiat, sed quid sit intelligere*.

Per totam noctem tussis, et animae interclusio, quae hactenus nunquam desierant, majorem in modum aegrotum divexarunt. Cra-

stina, seu octava morbi die ante solis ortum ad aegrotum invisendum reversus est Cl. *Bomba*, atque injunxit, ut syrupo de erysimo Lobellii cum oxymelle scillitico, et camphora mixto in diem uteretur ad vasorum fibras erigendas, et sputa facilius educenda, non omissis potionibus diluentibus, et junioris carnis jusculo singulis tribus horis praebendo, ne vires plus aequo deficerent. Ad meridiem autem quamvis aegrotus spiritum reciprocare vix posset, tussis tamen impetum mitiorem experiebatur, ac, sputis melioris indolis prodeuntibus, se quovis latere decumbentem melius habere affirmabat. Quare, quidquid alii medicinae expertes putarent, tam collega meus, quam ego, parvis simul, et celeribus arteriarum pulsibus, ceterisque morbi signis expensis, jure veriti sumus, ne gangraena, quae *Boerhaave* auctoritati inhaerendo, *mors est partis affectae*, secuta jam esset. His positis, non defuerunt, qui nescio qua ducti ratione aegrotationem hanc in imo ventre potius, quam in thorace residere putaverint. Atque dum blandis plane verbis, itemque validis, ut arbitror, rationibus mentem eorum rafellere adnitebar, insignis medicinae, et chirurgiae professor Andreas *Belli* advenit, qui, morbi indole, et signis omnibus attentis, valde miratus est, in dubium revocari posse hujus morbi sedem, quae ut probe internosceretur, ne unum quidem deesse videbatur indicium. Exinde vero

de futura aegroti sanatione et ipse malum portendit omen, et radicis polygolae virginianae usum in medium attulit, quem sane, uti plura jam relata remedia, incassum experti sumus. Circa solis occasum iterum invisit aegrotum Cl. *Bomba*; neque diù anceps haerere debuit, ut a nobis jam captum de pulmonis gangraena consilium caperet. Ægrotus enim sputi e pulmone educendi minime potis erat, atque, intercedente spiritus angustia, et arteriarum motu deficiente, jam e lecto surgere, et fugam arripere conabatur; ejusdem praeterea facies pallido obducta est squallore, pedibus, iisdemque suris frigore obrigescentibus. Quid plura? Floccos, ut ajunt, colligere, cum iis, qui minime aderant, inaniter alloqui, et, erecto positu posthabito, iterum, si ita loqui fas est, ad libellam, et supinum in lecto se ponere omnia nobis erant et consecutae gangraenae, et certae mortis indicia. Sub noctem aegrotum tertio invisere voluit optimus medicinae professor *Bomba*, atque hisce pravis, ac lethalibus morbi signis animadversis, edicere non dubitavit, nullam amplius ipsi salutis spem, nullum esse mortis effugium; verum sic agendum, perinde ac morbus eo pene die sui ortus primordia duceret. Ad multam vero noctem vita adeo periclitatus est aegrotus, ut, Sacerdote multa sacra in ipsius mentem revocante, sui omnes, qui consolari renuebant, de funere potius, quam de remediis adhibendis cogitandi tempus jam esse putarent.

Ita se res habebant, quum aegrotus ante lucem ab imminenti vitae discrimine, perinde quasi e somno solutus probe, et concinne sermonem instituere coepit, atque iterum residere voluit, quo facilius aerem haurire, haustumque emitttere posset. Ut illuxit, Cl. *Bomba* in praefatum chirurgum Antonium *Vasselli* incidit, a quo petiit, an denatus jam esset juvenis *Sciarra?* At cum audisset, eumdem minime periisse, sed potius meliuscule se habere, miratus quidem est, tum de more ad ipsum invisendum accedens febrim valde minutam deprehendit, eodemque modo, tussis vi, aliisque signis plane lethalibus minus ingravescentibus, non solum minoris copiae, sed melioris etiam indolis sputa perspexit. Hinc liquido patet hippocratici asserti veritas - *Acutorum morborum admodum incertae sunt praenunciationes* - Atque ad rem audiatur etiam doctissimus Baglivius (de pleur. cap. 9.) qui summus plane vir pro summa reipublicae utilitate viveret adhuc necesse foret - *O quantum difficile est*, ajt, *curare morbos pulmonum! O quanto difficilius eosdem cognoscere, et de iis certum dare praesagium! Fallunt vel peritissimos, et ipsos medicinae principes.* - Itaque in hujusmodi morbis curandis maximam diligentiam, ac studium prudentes adhibeamus oportet, nec facilis promittenda est curatio, ut nebulones faciunt, qui Hippocratem non legunt.

Decimo, et qui secutus est, morbi die major de aegroto salutis spes affulsit: sputa

siquidem non amplius puris, sed pituitae indolem, ac naturam praeferebant, atque, indiciis omnibus minutis, febris ipsa adeo mitis erat, ut brevi excedere posse videretur. At quaenam, et quanta morborum est fallacia, qui pulmonem ingruunt, obsident, afficiunt? Nunquam iis praestanda fides! Nam postridie, tussi una cum spiritus angustia gravius accedente, ad alterum thoracis latus, hoc est sinistrum se prodidit acer doloris sensus, febrisque simul tanta erat vis, ut una mecum autumaverit collega meus, iterum, incisa vena, sanguinem esse educendum. Interim venit nunquam satis laudandus *Bomba*, initoque consilio, statutum fuit, sanguinem sub vesperam ictu detracturum fuisse, nisi, remittente febri, doloris morsus, fotibus adhibitis, imminutus esset, aut, quod magis erat optandum, penitus extinctus. Votis autem, adjuvante Deo, res omnino successit: nihilominus duo femoribus auctoritate nostra admota fuerunt cerata ex cantharibus confecta, quae quidem cum eam, qua par erat, humoris copiam non revocassent, unum inde priori lateri effecto admoveri duximus; neque immerito; ex hoc enim uberrime, atque ita diù secuta est acris, et prava humorum copia, ut nihil supra posset. Porro etiamsi morbosa materia, ejusque vis minime devicta, ac profligata esset; quadam tamen ratione infracta videbatur; unde si minus certa, saltem probabili conjectura ducti, atque

immortalis Galeni auctoritati innixi, quae haec est - *Ubi enim natura superior evasit, et debellavit, et restituit vehementiori morbi conatui, et, quae infectabant, expugnavit; fieri non potest, ut postea succumbat* - secundam de aegroto valetudinem nobis polliceri potuimus: idque vel magis, quod septima supra decem a morbo die tumorem inspeximus, qui *thyroideam*, ut ajunt, glandulam infecerat. Tunc enim temporis nobis in mentem venit illud etiam Hippocratis - *Quibus ex morbis pulmonis ad aures abscessus oboriuntur, et ad inferiores sedes suppurrant, et, fistula facta, aperiuntur, iis secunda valetudo contigere solet* - (Praen. 111.) Hinc emplastrum ex pane, malvae foliis, ac lacte confectum statim parti affectae admovendum esse credidimus. Verum hujusce provinciae partem ad eos, qui manu curant, auctoritate nostra delatam non ita gravate recepit jam nuncupatus Antonius *Vasselli*, et recepta, tum prudenter, tum humaniter petiit, ut ex praestantioribus in arte viris alter etiam ad curationem accederet. Quare non unus tantum, sed plures accersiti sunt celebratissimi Chirurgi, a quibus deinde ventum in consilium est, decretumque, ut resolutio tumoris omni studio, et arte absolveretur; ob situm enim periculi plena suppuratio videbatur. Verumtamen, remediis, quae vulgi sermone *resolventia* dici solent, per multos dies adhibitis, tumor nulla ratione minueba-

tur; imo plane magis adauctus impediebat, quominus æger salivam ipsam deglutire, et aerem inspirare posset. Quae cum ita essent, Joseph *Sisco*, vir summi consilii, artisque suae facile princeps accersitus fuit, qui ea, qua nitet, humanitate se statim (quintus, ac vigesimus morbi dies erat) ad aegrotum contulit, et, diligenter inspecto tumore, quamdam se materiae fluctuationem experiri contendit, adeoque jussit, ut emplastrum adhiberetur ex lacte, malvae foliis, ac pane confectum. Interim ego in quamdam pravae valetudinis affectionem implicitus ad integram sanationem domi me esse statueram. Attamen sive quod aegrotantis animo arctius adhaeserat intima necessitudo, suaeque sanationis in me spes, ac fiducia, sive quod ab iis, qui aderant, minime, ut par erat, satisfieri poterat, sive tandem qua de caussa nescio, duobus vix elapsis diebus, quem nominavimus, fratrem suum Aloisium deprecatus est, imo potius coegit, ut ad me sine cunctatione veniret, itemque domum suam rheda conferret. Itaque factum est, ut amicitiae propriam valetudinem aequo, libentique animo praeferendo ad eum, quem necessitate coactus reliqueram, familiaritate commotus redirem.

Apud aegrotum narrata mihi sunt, quae, dum aberam, acciderant; nimirum quod morbi vigesima quinta etiam die, in qua emplastrum a laudato jam *Sisco*, praescriptum fuit, ut in diebus proxime elapsis, omnia sine vi-

tae discrimine processerint : contra vero, ineunte nocte, morbum eam acerbitatem adeptum esse notarunt, ut miser ad incitas iterum redactus jam denasci videretur. Febris enim tanta vis erat, tanta tussis, ac tanta spiritus angustia, ut eidem sensus praefocationis instaret. At quo sui unquam timore correptus fuit, quum sputa quasi sanguinem aspexit? Sanationem sibi nullam amplius, sed mortem unam, eamque cito futuram esse censebat. Enim vero perversa videlicet ratiocinatione delusus a suae aegrotationis initio sibi persuaserat, eodem se morbo laborare, quo nonnullos ante menses acerrime affectus fuit dilectus, et unicus Consobrini mei filius Petrus *Fioravanti*, quicum familiarissime utebatur. Proh doloris immanitas! Juvenis hic summae quidem expectationis, probaeque indolis, comitate omnibus carus, et virtute jam notus decimum, et sextum suae aetatis annum vix attigerat, quum diuturna, ac prava pectoris affectione correptus, eademque diù conflictatus in sputum sanguinis incidit, quod medicorum vulgus *emoptysim* appellat : summo deinde Parentum, et amicorum dolore heu! nimis propero fato abreptus fuit, ac postremum familiae pignus vivere desiit. Ave ergo, optime juvenis, requiesce, et in Domino vive.

Qui aderant, aegrotantis animum valde commotum omni studio lenire curarunt, ejusque fratrem, qui, ut pluries dictum est, pe-

riclitantibus opem, studiumque confert, e somno excitarunt, ut misero statim adesset. Hic autem variis, multisque rationibus juvenem persuadere studiut, sanguinem, quem cum sputis mixtum conspexerat, minime a pulmone, ut is falso arbitratus erat, sed a disrupto abscessu, de quo jam sermo fuit, una cum pure fuisse secutum. Et re quidem vera tumoris decrementum apparuit postero mane, tum aegrotus, deglutitione fere integre restituta, et respirationis via ab omni gravitatis sensu soluta, clarum, ac distinctum, ut antea, vocis sonum edebat: febris etiam imminuta erat, tussis, ac spiritus angustia minus acriter vexabant aegrotum, et, quae se consideranda dederunt, sputa meliora quidem deprehensa sunt cum indole, tum copia. Nocte vero per aliquot horas obdormivit aegrotus, et post lucem, quae morbi erat septima supra vigesimam, ego, uti relatum est, ad ipsum revocatus intimi animi sensu percepi, in melius abiisse, ac propterea tutum, compertumque habui, sanitatem ipsi praesto esse firmiorem. Nam evanuerat tandem assiduus faciei rubor, qui post prandium augebatur, febris valde remiserat, atque aegrotus ipse, qui magis expedite spiritum reciprocare jam poterat, summam virium defectionem, morboque se affici experiebatur, quod sane in hisce malae valetudinis affectionibus est maxime optandum. Deinde neque indiciorum exacerbationem, ut fieri solebat, neque gra-

viorem noctem observavi; quinetiam crastina die febris vix ullum suae praesentiae indicium exhibuit, et, clysteribus injectis, quibus vicinae partes foverentur, itemque humorum impetus averteretur ab affecta parte, excrementorum copia secuta est magno cum aegroti levamine. Postridie vero quae singularis unquam apparuit indiciorum novitas? Quatuor enim plus, minus a prandio elapsis horis, praeter omnium expectationem adaucta febris est, tussisque molesto cum impetu accessit, comite incommoda, ac difficili respiratione, et sanguinis ad faciem affluxu: sputa etiam, quae concocta videbantur, repente viscida, et cruda se nobis obtulerunt. Unde toto pectore incubuimus, ut gravissima haec symptomata, quantum fieri poterat, cohiberentur; sed eorum tanta vis erat, ut remediis omnibus, quibus usi fuimus, fortiter obstiterint: porro tumor, quo de superius, mollis ad noctem, ruber, et grandior deprehensus est; neque aliam ob caussam id factum esse intellexi, quam ut vehementiore tussis impulsu major humorum copia in eum affluxisset, aut humores ipsi puris indolem adepti, vel intus, vel extrinsecus viam sibi paraturi esse viderentur. Hinc volui, ut loco affecto per totam noctem recens emplastrum per quam saepe admoveretur. His ita constitutis, et adhibitis, quid mirabilius nobis, quam ad proximam lucem tumorem penitus resolutum aspicere? Haec scilicet naturae debuimus!



cujus quidem leges, quae nobis plerumque latent, atque horum itidem rationem si in medium afferam, ingenue mihi fatendum est, humoribus, qui stagnantes in tumore degebant, cum praefato, quo usi fuimus, remedio, tum ipso naturae robore maximum fluorem conciliatum, simulque febri majore cum impetu, ac vi superveniente, in circumactionem ipsos una cum sanguine coactos, ac delatos fuisse. Quo enim vehementior est febris, eo fortius sanguis per vasa cietur; unde, sanguinis circuitu adaucto, ipsi quoque stagnantes humores utut fluidiores redditi in motum irent oprtuit. In diem nihil deprehensum est, quod medicorum attentionem, ac diligentiam ad trutinam revocaret. Ceterum ad duas post meridiem horas febri paulo vehementiore laboravit aegrotus, additis nonnulla animae interclusione, tussicula, viscidae indolis sputis, et genarum rubore. Quae vero secuta est, noctem secundam expertus est; sedatis enim pravis morbi symptomatibus, jucundiori somno victa lumina dedit, a quo, ut illuxit, suapte natura excitatus uberrimam deorsum ejecit excrementorum copiam, natura ipsa suppetias ferente. Una post solis ortum hora ad aegrotum, ut moris erat, una mecum accesserunt Cl. medici Joannes Baptista *Bomba*, ac Petrus *Sciarra*, tum, omnibus, qua par est, diligentia expensis, cunctis suffragiis ediximus, penitus utique nondum extinctam esse febrim, sed ea suae

presentiae indicia praebere, quae a medicinae peritis vix percipi poterant. Quamobrem consultum habuimus, ut aegrotus ovum recens nonnulla jusculi copia dilutum continuo sumeret ad reficiendas vires, quarum defectum experiri fatebatur. Deinde cum de hujus febriculae natura, et caussis concinne locuti essemus, hasce quidem in pravis humorum vitiis ab ipsa morbi diuturnitate secutis repositas esse putavimus; unde statutum fuit, ut aegrotus lactis asinini sero quotidie, seu potius in singulos dies uteretur. Vespere febris, ejusque prava symptomata quodammodo saevierunt; sed crastina die omnia remiserant, et eumdem ordinem, ac rationem secuta sunt.

Altero die, qui aegrotationis trigesimus, ac tertius erat, post prandium aegroti faciem insuetus rubor valde, diùque notavit; ex quo nullum sane dubium, quin febris exinde vehementior etiam cum indiciorum cumulo sequetur. Quo quidem in judicio libenter decepti fuimus, atque utinam eadem ratione decèpti semper essemus! Nocte siquidem aegrotus placido simul, ac protractiore somno usus est, tum diluculo, nullo gravi signo intercedente, arteriarum micationes deprehensae sunt vix aequo frequentiores. Hinc praescripsimus, ut potum hauriret ex cacavo, saccharo, et cinnamomo confectum, atque conditum, qui vernaculo sermone una tantum voce dicitur *cioccolata*. Quem plane victum valde libavit, viribusque utut refectis, sopori

se iterum dedit: jam verò morbi vi non minus, quam diuturnitate pertaesus intima, qua mecum utebatur, familiaritate petiit, an certae valetudini quam primum restitui posset. Vernm qua ratione, quod is expetebat ardentius, ipse ego edicere poteram? Hoc etiam die ad cumulum usque febris devenit, et omnia secum tulit exitialia indicia, quae, saepius in medium afferre quamvis me non pigeret, tamen, ut opinor, vos fastidiretis. Nihilominus aegrotus placido per noctem complexus est sopore, ac postero mane, morbi scilicet trigesimo quinto febris una cum suis indiciis ita remiserat, ut de eo bene sperare potuerim: At mea me fefellit spes, et desiderium; nam gravius in diem, et citius exacerbata est febris, et omnia, quibus ipsa constanter obnoxia erat, signa majore cum vitae discrimine aegrotum ingruerunt, cujus praeterea ad sinistrum latus reversus est dolor, qui, accedente tussi, magis exacuebatur. Ex quo licet sanguis eliciendus esse videretur, omnibus tamen rite perpensis, in eam sententiam adductus fui, ut duo suris admoverentur cereta vesicatoria, dum in id generis morbis, quos medici *acutos ex decidentia* vocare solent, venae sectio potius laedit. Hisce pro necessitate peractis, consultum habui, ut de arte medica benemerentissimus *Bomba* quam primum accersiretur, qui, consilio adhibito, injunxit, ut singulis tribus horis aegrotus bolum sumeret ex kerme minerali confectum; a

quo vero iterum abstinendum fuit, cum ventriculi fibras nimium irritaret ; atque ideo, quae in eo continebantur, quaquaversus perturbatis, et confusis, vomitus inde secutus fuerit. Summo vespere, remittente febri, tussis etiam sedata est: attamen cum aegrotus incommodam adhuc, et difficilem respirationem experiretur, non potui, quin ratione quadam ductus de ipsrus valetudine valde metuerem. Ad multam noctem sudor ex ejusdem corporis compagine magna copia manavit, tum, placido accedente sopore, anhelatio quasi omnino decessit. Postridie vero etsi febris vix aliquod signum reliquisset, copioso tamen ad caput potissimum adhuc effluente sudore, a spiritus angustia, quae ad summum devenerat, praeter modum angebatur : Ex quo quidem probabili conjectura prospexi, praefocatione hunc miserum, si febris in diem de more saeviret, certo certius periturum. Nam Hippocrates (de acut. morb. victu tom. xi.) jam scripsit– *Pravum est, si aeger difficile spiret... et sudores circa cervicem, et caput oboriantur. Hi enim sudores pravi sunt* – Verum, quod timueram, favente Deo, quam procul abfuit; post solis enim occasum aegroti facies utique rubore, ut plerumque fiebat, obducta fuit, sed, arteriarum pulsibus, aliisque signis diligenter expensis, neque anhelatio gravior facta, neque febris incrementum apparuit. Septima deinde, ac trigesima morbi dies accessit, et quatuor potissimum a solis ortu

elapsis horis aegrotus ita difficile respirare coepit, ut diem sibi ultimum instare sentiret, atque, una modo, modo altera ipsius gena erubescente, febris impetus eo devènerat, ne ulterius progredi posset: quare, inito consilio, remedia hactenus adhibita, addito femoribus cantharidum emplastro, adhibenda decrevimus. Ceterum prava haec aegotatio ut primum oborta est, singularia, et anomala sui dedit indicia, simulque statutas a natura leges, ac vias insistere contempsit. Ægrotus enim post meridiem, febri, et signis omnibus citra expectationem imminutis, somnum per multas horas protraxit; sub vesperam alvi proluviem egessit, jusculo deinde refectis viribus, iterum sopori per integram fere noctem indulsit. Postero mane a frequenti, et molesto tussis impulsu minime divexatus, et mitiore febri laborans non modo spiritum expeditius reciprocare poterat, verum etiam, sputis pituitae indolem referentibus, ejus vultus, qui, secundum Tullium, *tacitus quidem sermo est*, nihil exhibebat, quod aut sinistrum, aut praeter naturam esse videretur. Ad meridiem quoddam rediit febris incrementum tussis frequentia, ut fieri solebat, minime obnoxium, neque genarum rubore, neque incommoda, et difficili respiratione; quae quidem, ingravescente febri, omnia deinde advenientia satis aegroto molestiae attulerunt: verum sub noctem iterum sedata sunt, et aegrotus per dies aliquot minus acriter expertus est immanita-

tem eorum. Nox interim, ex qua illuxit quadragesimus, ac secundus morbi dies, gravissima fuit; enim vero praeter aliam indiciorum turbam accesserunt etiam corporis jactationes, et sputa reversa sunt in indolem plane viscidissimam: hinc per me duo femoribus admota sunt cerata, quae vulgo *vesicatoria* dicuntur, tum accedens Cl. *Bomba* nonnullam praescripsit gummi ammoniaci copiam in singulos dies, mane positissimum, ad meridiem, et vespere sumendam, quo sputa jam nuncupatae indolis quadam ratione incisa, ac tenuata facilius prodirent. At grassanti morbo summa vis erat, adeoque summe difficilis ejus infractio!

Praeterea factum est, ut aegrotus et animae interclusione, et molestae tussis impulsu, et ipsius morbi vi, ac pondere oppressus undique jactaretur: Quare nil mirum, si ob morbi praefatas angustias, eamque ob sudoris copiam, quae *decretoria*, ut dicitur, minime sequebatur, ad concubiam noctem adhuc somno vacaret. Quieti deinde se dedit, ac postridie, iisdem indiciis persistentibus, sputa quidem in pus fuisse conversa videbantur. Porro circa meridiem quin tussis, ut moris erat, saeviret, sedata potius est, ejusque indolis sputa magis expedite prodibant: Sub vesperam febris etiam ne parum quidem exasperata est, nullumque accessit ex pravis indiciis, quae utplurimum sequebantur. Jam vero kermes minerale, cujus usum ter-

tio experiri voluit collega meus *Sciarra*, innocue plane sumebat aegrotus, qui per noctem sopore correptus a superveniente inani tussicula saepe saepius excitabatur. Die quadragesima quarta, et quinta cuncta in melius ire visa sunt; unde consultum habuimus, ut aegrotus inedia, atque ipsius morbi diuturnitate consumptus in singulos dies ante lucem lacte asinino uteretur, eodemque tempore, ne ereptus a praesenti vitae discrimine in alium sane morbum, hoc est virium defectum incideret, pleniorem victum praescripsimus, cujus etsi vel majorem copiam expetiret aegrotus, ipsì tamen tantum adhibere datum erat, ut vires refici, secundum Tullii praeceptiones, et non opprimi possent. Atque dum hisce diebus morbi signa in speciem secunda sensibus objiciebantur, hoc nobis dolendum maxime fuit, quod pluries aegrotantis pedes magno frigore obriguerint. Lethale siquidem est hoc signum, et suppurationem si nondum secutam, certam tamen, et futuram ostendit. Hippocrates enim *in coac.* ita nos admonet – *Horrore affecti frequenter ad suppurationem deveniunt* – Qua quidem consecuta, artis periti remedium ferme nullum adhibere possunt; pus enim commode eliminari, vulnusque recte purgari, aut sanari non potest, quia manibus denegatur accessus. Hinc jure Cl. Heisterus *in med. comp. de morb. inflammat.* – *Omnes*, ait, *inflammationes internae, nisi resolutione curentur, periculi plenissimae sunt, atque utplurimum mortem post se trahunt.*

Ut illuxit quadragesima sexta morbi dies, a somno per integram fere noctem protracto experrectus est aegrotus, levissima spiritus angustia affectus, et, sputis puri simillibus prodeuntibus, tussisque impulsu interdum accedente, febris adeo mitis erat, ut vix, seu ne vix quidem adesse videretur. Uberrima deinde excrementorum copia secuta est; semper enim functiones istae rite peractae sunt: in diem vero maxime adaucta febris nullum secum tulit indicium, quod aegroti vitam impenderet: ipse tamen post vesperam somno, ut moris erat, indulgere non potuit; idque ex eo, quod sine molesto, et frequenti tussis impulso minime prodirent sputa, quae, graviore spiritus angustia intercedente, mirum sane! puris indolem extemplo relicta, viscida iterum, ac pituitosa evaserunt. Cum ad multam noctem suam acerbitatem, et impetum lenivissent hujusmodi prava symptomata, somno tandem accedere datum fuit, qui de aegroto nec placide, nec diù potitus est. Ante lucem, fluente sudore, tum febris, tussisque vi quasi extincta, immutati sputi copiam valde minutam esse notavimus, quod nobis utique ingenti fuit admiratione, sed neque caussas, neque rationem intelligere potuimus. Quovis autem modo factum fuerit, certum hoc est, aegrotum in diem non solum continenti, sed etiam placido usum fuisse sopore, licet leve sub vesperam febris incrementum rediret cum levissima tussi, spirandique difficultate. Per noctem aeque placide obdor-

mivit, ac diluculo fere libere spirans, et exigua febri, tussique laborans questus est de ingenti virium defectione, quibus utut refectis, illico in soporem recidit. Vespere febris iterum recruduit, et prava, quibus obnoxia erat, indicia minime impedierunt, quominus aegrotus et diù, et placide somno indulgeret. Crastina die, morbi scilicet quadragesima octava quamvis exacte nondum desiisset febris impetus, juvenis tamen alacriore animo se ostendit, eaque animi alacritate usus est ad secundum usque morbi diem supra quinquagesimum. Hisce namque diebus morbus adeo infractus propemodum, et enervatus apparuit, ut denique, integris viribus, liberisque sensibus, sanitas aegroto futura esse videretur: quin imo ventum jam pluries in consilium a nobis, et constitutum erat, ut ad eam citius confirmandam (qua de re saepe non minus, quam libenter loquebatur aegrotus) ad patrium solum, et incunabula, resoluto morbo, se quam primum referret; quod unum ad inveteratas corporis aegritudines certissimum perfugium vulgo arbitramur. At, proh dolor! eadem quinquagesima secunda die, ac singillatim duabus a pastu elapsis horis, saeviente febri, aegrotum divexarunt incommoda, et difficilis respiratio, vehemens, et molesta tussis, ac veluti ad cumulum immanes corporis jactationes. Quare, ne quid omnino intentatum relictum esset, duo tibiis cerata vesicatoria iterum, ac tertio admota, et per-

saepe, ut quotidie factum erat, potiones cum syrupo adhibitae fuerunt. Praeterea, pituitosae naturae sputis, quae satis facile prodibant, imminutis, ita ad vesperam exasperata sunt singula morbi indicia, ut mors prae foribus stando aegroti vitam iterum, ac tuto impendere videretur. Sub noctem vero, quae gravissima fuit, sputa puris indolem iterum nacta sunt, ac postridie, si ita loqui fas est, revixit aegrotus, sed a spiritus angustia modo mitius, modo gravius angebatur. In diem, rubore notante malas, adaucta febris est, et respiratio difficilior, et gravior facta ad concubiam usque noctem aegrotum oppressit, qui sane hoc tempore per aliquot horas obdormivit, et crastina die, morbi scilicet quinquagesima quarta se meliuscule habere significavit; neque ipsi admodum, vel diù adnitendum fuit, ut nos etiam de valetudine sua minus desperare possemus. Nam ab imminenti vitae descrimine quasi solutus magis expedite, et fere secundum naturam aerem haurire, et emittere poterat, itidem, quiescente tussi, in meliorem indolem reversa erant sputa, et febris ita remiserat, ut jam proxime ad decessionem accedere visa fuerit. Verum quas insidias unquam, ac fraudes moliri potuit prava haec, et adversa aegrotatio? Ineunte nocte tum collega meus, tum ego revocati fuimus, ut ad eum, ex quo nuper spe futurae sanationis profecti eramus, citra cunctationem rediremus, quippe qui ab alternis

nervorum contractionibus, ingravescente morbo, vexabatur acerrime. Adivimus ergo, advolavimus, tum omnibus diligenter inspectis, aegre, atque invite novimus, miserum ita proxime ad mortem accessisse, ne ab ea amplius effugere posse videretur. Is enim summa spiritus angustia, thoracis gravitate, atque inaequali arteriam pulsu affectus incassum adnitebatur, viribus maxime fractis, sputa ex oppresso pulmone per continentem, atque inanem tussiculam foras expellare; idque plane ex eo suam ducere originem constitui, quod, rupta fortasse, quae latebat, vomica, pus per thoracis cavum diffusum, ac fluctuans pulmonem angustaret, et singula indicia proferret, quae tuto mortem instare docebant. Itaque ne articulo quidem temporis haesi, ut pater *del Pozzo*, quem jure laudibus extulimus, illico accersiretur, atque incredibili sua pietate in aegrotantis mentem, ex cujus potestate nunquam excesserat, quiquid sacrum est, revocaret, tum a praesentis praeterea mortis terroribus commotum ipsius animum religione leniret. Jam vero ad concubium eo devenerat aegrotus, ut, precibus omnibus absolutis, jam animam agere videretur; verum, cunctis artis auxiliis, quoad potui, adhibitis, ejus vita ad proximam usque lucem delata fuit; atque interim hoc liquido intellexi, mundum scilicet, qui in cordibus nostris adhuc floret, in se ipso perquam maxime arescere: ubique mors, ubique lucus, ubique

desolatio; undique percutimur, undique amaritudinibus replemur; et tamen caeca mente carnalis concupiscentiae ipsas ejus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhaeremus. Optimus vero juvenis suae mentis despectu florentem mundum jam calcasse, eumdemque in corde suo aruisse evidenter ostendit. Quinto siquidem supra quinquagesimum aegrotationis suae die, ac tertio potissimum kalendas majas, dum, diuturnae, ac pravae valetudinis aerumnis, et angustiis persistentibus, a divinae voluntatis conformatione nunquam excesserat, mortem aequo, libentique animo complexus est pia haec verba cum eodem Patre maxima cum fide, ex toto corde, ac pluries proferendo – *Misericordias Domini in aeternum cantabo* – Atque deinde terrena relinquens, quamvis, ut confido, coelestia petierit; ejus tamen ob interitum eo animi dolore affecti fuimus, ut vix nunc lacrymis temperare possimus; atque ipsum tunc temporis amare „ *flerunt nemorumque Deae, rurisque puellae.*

Haec fere in hujusmodi prava, ac diuturna valetudine se perpendenda dederunt; modo postulat accuratus dicendi ordo, ut, quidquid in defuncti cadavere tum inspiciendi, tum addiscendi caussa dissecto deprehensum fuit, ea, qua par est, brevitate in medium afferatur. Sane Andreas *Belli*, egregius nostra aetate sector, qui mecum aperiendo interfuit, secundo kalendas majas praefati

anni; ac singillatim duabus circiter post meridiem elapsis horis haec invenisse testatur; quae quidem ut omnibus rite, probeque noscantur, tum non pro sui observantia modo, sed pro rei etiam veritate operae pretium duco ejusdem ipsa verba referre. „ Il dì 28. Apri-
„ le 1824 in un luogo non sagro della cura
„ dei Ss. Dodici Apostoli di Roma alle ore due
„ in circa pomeridiane, e alla presenza dell'
„ Eccmo: Sig. Dott. Luigi Fiori fù da me sot-
„ toscritto sezionato il torace del defunto
„ Tommaso Sciarra, giovane di anni 25, e si
„ rilevò quanto appresso:

„ I muscoli pettorali, ed intercostali non
„ avevano scemato in parte alcuna, ma vi
„ era una quantità considerevole di adipe, e
„ cellulare convenienti al di lui temperamen-
„ to pingue in tutte le parti bene proporzio-
„ nato. Distaccate le coste dallo sterno, nel-
„ la parte sinistra si rinvenne la pleura in
„ istato libero dai corrispondenti lobi pulmo-
„ nici, ed in questi niuna durezza, nè esul-
„ cerazione; se non che vi era una raccolta
„ di linfa sanguigna di circa libre due roma-
„ ne. Nel pericardio l'umore era aumentato
„ di circa una mezza libra, ed i grandi vasi
„ tanto arteriosi, che venosi nella loro inte-
„ grità. Nel destro lato del petto appena in-
„ trodotto il coltello, per separarne le coste,
„ sgorgò una quantità di *pus* libero, e flut-
„ tuante, che poteva ascendere a circa quat-
„ tro libre romane. Fù inutile di volere esa-

„ minare lo stato dei lobi pulmonici, poichè
„ questi più non esistevano; meno che una
„ picciolissima porzione nella più elevata
„ sommità, e talmente aderente, ed immede-
„ simata alla pleura, che non fù possibile di
„ separarla. Questo è quanto si può deporre
„ intorno alla divisata sezione. In fede ec.

Andrea Belli Medico Chirurgo

His ita constitutis, facile inferri potuit, qua ratione fieret sputorum illa tam frequens, ac repentina mutatio. Suppurato enim dextro pulmonis lobo, nil mirum esse debet, si sputa ortum ex eo ducentia puris indolem, ac naturam praeferrent, quemadmodum pituitosa se consideranda praebebant, quum ex altero non affecto lobo exoriebantur. Praeterea intelleximus etiam, serosam humorum copiam in sinistrum thoracis cavum extemplo, seu potius, ut opinor, paulatim, effusam, qui superfuerat, pulmonis lobum opprimendo eam misero attulisse mortem, quae sane ob alterius lobi a suppuratione defectum futura plus, minus instabat. Tandem pro re non levi habitum fuit, vitalibus adeo affectis, ac propemodum exustis, hominem tandiù vivere potuisse, praesertim hilari semper, eodemque vultu se habentem, et, quod plurimi faciendum est, quin sputi projiciendi vis, vocisque sonus ulla ratione deficerent.

FINIS.